



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De his quæ competunt religiosis. Quæstio 187.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

Deum, quæ cæsi ad horam intercipiatur, de facili ad pristina reparatur. Vnde super illud Psal. 36. Cum ceciderit non collidetur, dicit * Origenes, Iniustus si peccauerit, non penitet, & peccatum suum emendare nescit: iustus autem scit emendare, scit corrigere. Sicut ille qui dixerat, Nescio hominem, paulo post cum respectus fuisset à Domino, flere cœpit amarissimè. Et ille qui de tecto mulierem viderat, & concupierat eam, dicere voluit, Peccaui, & malum coram te feci. Iuuatur etiam à socijs ad resurgendum: secundum illud Ecclesiæ. 4. Si vnus ceciderit, ab altero subleuetur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se.

Ho. 4. in Ps. 36. in ser prin. & med. to. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas illa loquitur de his, quæ per infirmitatem, vel ignorantiam committuntur: non autem de his quæ committuntur per contemptum.

Ad secundum dicendum, quod Iosaphat etiam cui illa verba dicuntur, non ex malitia, sed ex quadam infirmitate humanæ affectionis peccauit.

Ad tertium dicendum, quod iusti non de facili peccant ex contemptu, sed quandoque labuntur in aliquod peccatum ex ignorantia, vel infirmitate, à quo de facili releuantur. Si autem perueniât ad hoc, quod ex contemptu peccent, efficiuntur pessimi, & maximè incorrigibiles: secundum illud Hierem. 2. Confregisti iugum, diripuisti vincula, dixisti, Nō seruiam. In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternaberis meretrix. Vnde Aug. dicit * in epist. ad plebem Hipponensem, Ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quàm qui in monasterijs profecerunt, ita non sum expertus peiores, quàm qui in monasterijs ceciderunt.

epist. 137. parū ante p. 60. 2.

QVÆST. CLXXXVII.

De his quæ pertinent ad religiosos, in sex articulos diuisa.

Dinde considerandum est de his quæ competunt religiosis.

¶ Et

- ¶ Et circa hoc queruntur sex.
- ¶ Primo, vtrum liceat eis docere, predicare, & alia huiusmodi facere?
- ¶ Secundo, vtrum liceat eis de negotijs secularibus se introrittere?
- ¶ Tertio, vtrum teneantur manibus operari?
- ¶ Quarto, vtrum liceat eis de eleemosynis vivere?
- ¶ Quinto, vtrum liceat eis mendicare?
- ¶ Sexto, vtrum liceat eis vestimenta ceteris viliora deferre?

ARTIC. I.

Vtrum religiosi liceat docere, predicare, & alia huiusmodi facere?

894

Op. 18. c.

vlti. &

op. 19. c. 2

¶ ca. Hoc

nequa-

quam, &

¶ Hiero-

me. illius

¶ contra Vi-

gilantiu,

non pro-

cul a fin.

Multa i

orb refer

tur 16. q.

i. c. mo-

nachus

¶ c. Pla-

cuit om-

nibus, in

¶ sine.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod religiosi non liceat docere, predicare, & alia huiusmodi facere. Dicitur enim * 7. quest. 1. in quodam statuto Constantinopolitane synodi, Vita monachorum subiectionis habet verbum & discipulatus, non quam, & docendi, vel presidendi, vel pascendi alios. Hieronymus etiam dicit ¶ ad Riparium, & Desiderium, Monachus non docentis, sed plangentis habet officium. Leo etiam Papa dicit, ut habetur * 16. quest. 1. Prægilantiu, ter Domini sacerdotes nullus audeat predicare, siue monachus, siue laicus ille sit, qui cuiuscumque scientie nomine gloriatur. Sed non licet transgredi principium officium, & statutum Ecclesie. Ergo videtur, quod non liceat religiosi docere, predicare, & alia huiusmodi facere.

¶ 2. Præterea, In statuto Nicene synodi, quod ponitur 16. ¶ quest. 1. sic dicitur, Firmiter & indissolubiliter omnibus precipimus, ut aliquis monachus penitentiam nemini tribuat, nisi sibi inuicem, ut scilicet non sepeliat, nisi monachum secum in monasterio commorantem, vel si forte in quemquam aduenientium fratrum ibi mori contigerit. Sed sicut ista pertinent ad officium clericorum, ita etiam predicare, & docere. Ergo cum alia sit ecclesia monachi, & alia clerici, ut Hieronymus dicit ad Hiero-

liodorum*, videtur quòd non liceat religiosis prædicare, docere, & alia huiusmodi facere.

¶ 3 Præterea, Gregor.* dicit in registro, Nemo potest & ecclesiasticis obsequijs deferuire, & in monastica regula ordinatè persisterè: & hoc habetur 16. quæst. 1. Sed monachi tenentur in monastica regula ordinatè persisterè. Ergo videtur, quòd non possint ecclesiasticis obsequijs deferuire. Docere autem & prædicare, pertinent ad ecclesiastica obsequia. Ergo videtur, quòd non liceat eis prædicare, aut docere, aut aliquid huiusmodi facere.

SED contra est, quod Greg. dicit, & * habetur 16. quæst. 1. Ex auctoritate huiusmodi decreti (quod Apostolico moderamine & pietatis officio à nobis est constitutum) sacerdotibus monachis Apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata soluere.

RESPONDEO dicendum, quòd aliquid dicitur alicui non licere dupliciter. Vno modo, quia habet in se quod contrariatur ei quod dicitur non licere: sicut nulli homini licet peccare, quia habet in se qui libet homo rationem, & obligationem ad legem Dei, quibus contrariatur peccatum. Et hoc modo dicitur alicui non licere prædicare, vel docere, vel aliquid huiusmodi facere: quia habet in se aliquid quod his repugnat. Vel ratione præcepti: sicut his qui sunt irregulares ex statuto Ecclesiæ, non licet ascendere ad sacros ordines. Vel propter peccatum, secundum illud Psal. 49. Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas? Hoc autem modo non est illicitum religiosis prædicare, docere, & alia huiusmodi facere: tum quia ex voto, & præcepto regulæ non obligantur ad hoc, quòd ab his abstineant: tum etiam quia non redduntur ad hoc minus idonei ex aliquo peccato commissò, sed magis idonei ex exercitio sanctitatis, quod assumpserunt. Stultum autem est dicere, ut per hoc, quòd aliquis in sanctitate promouetur,

*de laude
vita soli
taria, 2
med. il-
liu, 20. 1.
* li. 4. in
prin. &
habetur
16. q. 1.
ca. Nemo
potest.
c. ex au-
thoritate
huius.*

tur, efficiatur minus idoneus ad spiritualia officia exercenda. Et ideo stulta est quorundam opinio dicitur, quod ipse status religionis impedimentum affert talia exequendi. Quorum errorem Bonifacius Papa rationibus supradictis excludit dicens, * v. habetur 16. quæstione 1. Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimo quidem zelo magis amaritudinis, quam dilectionis inflammati, afferentes monachos, qui mundo mortui sunt, & Deo viuunt, sacerdotalis officij potentia indignos. Sed omnino labuntur. Quod ostendit: primo quidem, quia non contrariatur regulæ *. Subdit enim, Neque enim Beatus Benedictus monachorum præceptor alius, huiusmodi rei aliquo modo fuit interdicator. Et fimiliter nec in alijs regulis hoc prohibetur. Secundo improbat prædictum errorem ex idoneitate monachorum, cum in fine capituli * subdit, Quanto quisque est excellentior, tanto & in illis, scilicet spiritualibus operibus potentior. Alio modo dicitur aliquod non licere alicui, non propter contrarium quod habeat, sed propter hoc, quod deficit ei vnde illud possit: sicut diacono non licet missam celebrare, quia non habet ordinem sacerdotalem: & presbytero non licet sententiam ferre, quia non habet episcopalem auctoritatem. In quibus tamen est distinguendum: quia et quæ sunt ordinis, committi non possunt nisi ei qui ordinem habet: sicut diacono non potest committi, vt celebret missam, nisi fiat sacerdos. Ea verò quæ sunt iurisdictionis, committi possunt eis qui non habent ordinariam iurisdictionem, sicut prolatio sententia committitur ab episcopo simplici sacerdoti. Et hoc modo dicitur non licere monachis, & alijs religiosis prædicare, docere, & alia huiusmodi facere: quia status religionis non dat eis potestatem huiusmodi faciendi. Possunt tamen ista facere, si ordinem accipiant, vel ordinariam iurisdictionem, aut etiam si eis committantur ea quæ sunt iurisdictionis.

Ad primum ergo dicendum, quod ex verbis illis ha-

26. q. 1.
cap. Sunt
nonnulli.

20. c. pa-
ri a pri.

16. q. 1. c.
Sunt vñ-
nulli, de-
clinando
ad f.

habetur, quòd monachi, ex hoc quòd sunt monachi, non nanciscuntur potestatem talia faciendi: non autem quod ex hoc quòd sunt monachi, habeant ali- quid contrarium executioni talium actuum.

Ad secundum dicendum, quòd illud etiam statu- tum Niceni Concilij præcipit, vt monachi non vsur- pent sibi ex hoc quòd sunt monachi, potestatem hu- iusmodi actus exercendi: non autem prohibet quin- ista possint eis committi.

Ad tertium dicendum, quòd ista duo se non com- patiuntur, scilicet quòd aliquis ordinariam curam ec- clesiasticorum officiorum habeat, & monasticam re- gulam in monasterio seruet. Per hoc tamen non ex- cluditur, quin monachi, & alij religiosi possint interdum circa ecclesiastica officia occupari ex commis- sione prælatorum, qui ordinariam curam habent, & præcipuè illi, quorum religiones ad hoc sunt speciali- ter institutæ: vt infra * dicitur.

ARTIC. II.

Utrum religiosi liceat secularia negotia tractare?

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quòd reli- giosis non liceat secularia negotia tractare. Di- citur enim in † prædicto decreto Bonifacij papæ, quòd B. Benedictus eos secularium negotiorum edi- xit expertes fore: quod quidem Apostolicis documen- tis, & omnium sanctorum Patrum institutis, non so- lum monachis, sed etiam canonicis omnibus, magno- pere imperatur, secundum illud 2. ad Tim. 2. Nemo militans Deo implicat se secularibus negotijs. Sed omnibus religiosis imminet, quòd militent Deo. Ergo non licet eis secularia negotia exercere.

¶ 2 Præterea, Primæ ad Thess. 4. dicit Apost. Ope- ram detis vt quieti sitis, & vt negotium vestrum aga- tis. † glo. Dimissis alienis, quod vobis vile est in emen- dationem vitæ. Sed religiosi specialiter assumunt stu- dium emendationis vitæ. Ergo non debent secularia negotia exercere.

¶ 3 Præterea, Super illud Matth. 11. Ecce qui mol-

* q. 188.

ar. 4.

895

inf. q. 188

a. 2. ad 2

et op 19

ca. 11. et

Rem. 16.

co. 1. su.

et 2. Tit.

2. col. 2.

† a. præc.

16. q. 1. c.

Sunt nō-

nulli.

Rubric. q.

et c. ex

tra ne le

rit, vel

monaci.

Gl. inter.

ibi.

In hoc lo
60 10. 9.

mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt, dicit Hiero. Ex hoc ostenditur rigidam vitam, & aulicam prædicationem, vitare debere aulias regum, & mollium hominum palatia declinare. Sed necessitas secularium negotiorum ingerit hominem ad frequentandum regum palatia. Ergo non licet religiosis aliqua negotia secularia pertractare.

SED contra est, quod Apost. dicit ad Rom. vi. Commendo vobis Phæben sororem nostram. Et postea subdit, Et assistatis ei in quocumque negotio vestri indigerit.

9. præc. 4.
3. & 7.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est, status religionis est ordinatus ad perfectionem charitatis consequendam. Ad quam quidem principaliter pertinet Dei dilectio: secundario autem dilectio proximi. Et ideo religiosi præcipue & propter se debent intendere ad hoc, quod Deo vacent. Si autem necessitas proximis imminet, eorum negotia ex charitate agere debent, secundum illud ad Galat. 6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi: quia & in hoc ipso quod proximis seruiunt propter Deum, dilectioni diuine obsequuntur. Vnde dicitur Iac. 1. Religio munda, & immaculata, apud Deum, & Patrem, hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. Gl. id est, Succurrere eis qui carent præsidio, in tempore necessitatis. Est ergo dicendum, quod causa cupiditatis secularia negotia gerere, nec monachis, nec clericis licet. Causa vero charitatis se negotiis secularibus cum debita moderatione ingerere possunt secundum superioris licentiam, in ministrando, & dirigendo. Vnde dicitur in

gl. interl.
ibid.

de 2. in
c. 1. in.

Decr. 1. dist. 88. Decevit sancta synodus nullum deinceps clericum aut possessiones conducere, aut negotiis secularibus se immiscere, nisi propter curam aut pupillorum, aut orphanorum, aut viduarum, aut si forte episcopus ciuitatis ecclesiasticarum rerum sollicitudinem cum habere præcipiat. Eadem autem ratio est de religiosis, & clericis, quia virisque similibus

negotia
Ad
terdit
tatem
Ad
sed ch
tius se
Ad
Regum
non c
fas eis
dixit
vt loq
conue
guen
gueba

V
A
D
culan
opera
ad Th
mus v
chor.
(id est
tur) fa
cur in
dicari
opera
non vi
quida
cepiss
opific
& tibi
ter ch
etiam

negotia secularia interdiciuntur, vt † dictum est.

In co. 27.

Ad primum ergo dicendum, quod monachis interdicitur secularia negotia tractare, propter cupiditatem, non autem propter charitatem.

Ad secundum dicendum, quod non est curiositas, sed charitas, si propter necessitatem aliquis se negotijs secularibus immisceat.

Ad tertium dicendum, quod frequentare palatia Regum propter delicias, vel gloriam, vel cupiditatem non competit religiosis: sed ea adire propter pias causas eis competit. Vnde dicitur 4. Reg. 4. quod Helisæus dixit ad mulierem, Numquid habes negotium, & vis vt loquar Regi, vel principi militia? Similiter etiam conuenit religiosis adire Regum palatia ad eos arguendos, vel dirigendos, sicut Ioannes Baptista arguebat Herodem, vt dicitur Matth. 14.

ARTIC. III.

896

Utrum religiosi manibus operari teneantur?

3. di. 17.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod religiosi manibus operari teneantur. Non enim excusantur religiosi ab obseruantia præceptorum. Sed operari manibus est in præcepto, secundum illud 1. ad Theff. 4. Operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. Vnde & August. † in lib. de operib. monachor. dicit, Cæterum quis ferat homines contumaces (id est religiosos non operantes, de quibus ibi loquitur) saluberrimis Apostoli monitis resistentes: non sicut infirmiores tolerari, sed sicut etiam fortiores prædicari? Ergo videtur quod religiosi teneantur manibus operari.

9. 3. a. 1.

9. 4. c.

quo. 9. a.

4. c. op.

12. ca. 4.

co. 7. c.

c. 17. ad 1.

* ca. 20.

parum a

prin. 1. 3.

† Est Au-

gu. in li.

de operi-

bus mo-

nach c. 1.

c. 2. 3.

cod. li.

c. 2. in fi.

† c. 3. in

prin.

¶ 2. Præterea, 2. ad Theff. 3. super illud, Si quis non vult operari, nec manducet, dicit † glos. Dicunt quidam de operibus spiritualibus hoc Apostolum præcepisse, non de opere corporali, in quo agricolæ, vel opifices laborant. Et * infra, Sed superfluo conantur & tibi & cæteris caliginem obducere, vt quod vtiliter charitas mouet, non solum facere nolint, sed nec etiam intelligere. Et † infra, Vult seruos Dei cori

po-

poralia opera operari vnde viuant, Sed præcipue religiosi serui Dei nominantur, vtpote se totaliter diuino seruitio mancipantes: sicut patet per Dion. 6. cap. Eccles. hier. Ergo videtur, quod teneantur manibus operari.

* p. 1. nō
procul à
fin.
† c. 17. in
prin. s. 3.

¶ 3 Præterea, Aug. † dicit in lib. de Operibus monach. Quid agant qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent, scire desidero. Orationibus, inquit, vacamus, & psalmis, & lectioni, & verbo Dei. Sed quod per ista non excusentur, ostendit per singula. Nam primo de oratione dicit, Citius exauditur vobediens oratio, quam decem millia contemptoris: illos contemptores intelligens, & indignos exaudiri, qui manibus non operantur. Secundo de diuinis laudibus * subdit, Cantica verò diuina cantare etiam manibus operantes facile possunt. Tertiò † subiungit de lectione, Qui autem se dicunt vacare lectioni, non illic inueniunt quod præcipit Apostolus? Quæ est ergo ista peruerfitas, lectioni nolle obtemperare, cum vult ei vacare? Quarto * subiungit de prædicatione, Si autem alicui sermo erogandus est, & in occupatur, vt manibus operari non valeat, numquid hoc omnes in monasterio possunt? Quando ergo non omnes possunt, cur omnes sub hoc obtentu vacare volunt quamquam & si omnes possent, vicissim facere deberent, non solum vt ceteri necessarijs operibus occuparentur, sed etiam quia sufficit, vt multis audientibus vnus loquatur. Ergo videtur quod religiosi non debeant cessare ab opere manuali, propter huiusmodi spiritualia opera, quibus vacant.

* eo. c. 17
parum à
prin.
† ibi. cit.
fin.
* lib. de
oper. mo-
nach. c. 18
in prin.
eo. 3.

¶ 4 Præterea, Luca 12. super illud, Vendite que possidetis, &c. dicit * glos. Non tantum cibos vestros communicare pauperibus, sed etiam vendite possessiones vestras: vt omnibus vestris semel pro domino spretis, postea labore manuum vestrarum operemini, vnde viuatis, vel elemosynam faciatis. Sed ad religiosos pertinet propriè omnia sua relinquere. Ergo videtur, quod etiam eorum sit de labore

* est glo.
ordin. ex
Aug. de
oper. mo-
nach. c. 3
s. 3.

manuum suarum vivere, & eleemosynas facere. ¶ 5 Præterea, Religiosi præcipuè videntur tenere Apostolorum vitam imitari: quia statum perfectionis profitentur. Sed Apostoli manibus proprijs laborabant, secundum illud 1. ad Cor. 4. c. Laboramus operantes manibus nostris. Ergo videtur quòd religiosi teneantur manibus operari.

SED contra, Ad præcepta obseruanda, quæ communiter omnibus proponuntur, eodem modo tenentur religiosi, & seculares. Sed præceptum de opere manuali communiter omnibus proponitur, vt patet secundæ ad Thessalon. 3. Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, &c. Fratrem autem nominat quemlibet Christianum, sicut & 1. ad Corin 7 Si quis frater uxorem habet infidelem, &c. Et ibidem dicitur, Si quis non vult operari, nec māducet. Non ergo religiosi magis tenentur manibus operari, quàm seculares.

RESPONDEO dicendum, quòd labor manualis ad quatuor ordinatur. Primo quidem & principaliter ad victum quærendum. Vnde & primo homini dictum est, In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et in Psalm. 127. Labores manuum tuarum quia manducabis, &c. Secundo ordinatur ad tollendum orium, ex quo multa mālā oriuntur. Vnde dicitur Eccl. 33. Mitte seruum tuum in operationem, ne vacet: multam enim maliciam docuit otiositas. Tertio ordinatur ad concupiscentiæ refranationem, in quantum per hoc maceratur corpus. Vnde 2. ad Corinth. 6. dicitur, In laboribus, in ieiunijs, in vigilijs, in castitate. Quarto autem ordinatur ad eleemosynas faciendas. Vnde dicitur ad Ephes 4. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat unde tribuat necessitatem patienti. Secundum ergo, quod labor manualis ordinatur ad victum quærendum, cadit sub necessitate præcepti, prout est necessarium ad talem finem. Quod enim ordinatur ad finem, a fine necessitatem habet, vt scilicet intantum sit necessarium, in quantum finis sine eo esse

Sec. Sec. Vol. iij.

X x non

non potest. Et ideò qui non habet aliunde vnde vi-
uere possit, tenetur manibus operari, cuiuscumque
sit conditionis. Et hoc significant verba Apostoli di-
centis, Qui non vult operari, nec manducet. quasi
diceret, Ea necessitate aliquis tenetur ad operandum
manibus, qua tenetur ad manducandum. Vnde si quis
absque manducatione possit vitam transigere, non
teneretur manibus operari. Et eadem ratio est de
illis qui non habent alias vnde licite viuere possunt.
Non enim intelligitur aliquis posse facere quod non
licite facere potest. Vnde & Apostolus non inuenitur
opus manuum præcipisse, nisi ad excludendum pecca-
tum eorum qui illicitè victum acquirebant. Nam pri-
mo quidem præcipit Apostolus opus manuale ad cui-
tandum furtum, vt patet ad Ephesios quarto. Qui fur-
batur, iam non furetur: magis autem labores, operas
do manibus suis. Secundo, ad vitandam cupiditatem
alienarum rerum. Vnde dicit primò ad Thessalon. 4.
Operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, &
vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt. Tertio, ad
euitanda turpia negotia, ex quibus aliqui victum ac-
quirunt. Vnde secundò ad Thessal. 3. dicit, Cura-
essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam
siquis non vult operari, nec manducet. Audiuimus
enim inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil
operantes, curiose agentes: * gloss. qui tanta cura
necessaria sibi prouident. His autem qui huiusmodi
sunt, denuntiamus, & obsecramus, vt cum silentio
operantes, suum panem manducet. Vnde * Hieron.
dicit super epist. ad Galat. quod Apostolus hoc dixit
non tam officio docentis, quam vitio gentis. Scien-
dum tamen, quòd sub opere manuali intelliguntur
omnia humana officia, ex quibus homines licite vic-
tum lucrantur, siue manibus, siue pedibus, siue lin-
gua fiant. Vigiles enim & cursores, & alij huiusmo-
di, de suo labore viuentes intelliguntur de operibus
manuum viuere. Quia enim manus est organum
organorum, per opus manuum omnis operatio in-
telli-

* *glos. or.*
ibid.

* *in prox*
mio l. 2.
ad Gala.
10. 9.

telligitur, de qua aliquis victum licite potest lucrari. Secundum autem quod opus manuale ordinatur ad otium tollendum, vel ad corporis macerationem, non cadit sub necessitate præcepti secundum se consideratum: quia multis alijs modis potest vel caro macerari, vel etiam otium tolli, quam per opus manuale. Maceratur enim caro per ieiunia & vigiliis, & otium tollitur per meditationes sacrarum scripturarum, & laudes diuinas. Vnde super illud Psalm. 118. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicit glossa. Non est otiosus qui verbo Dei tantum studet: nec plurius est, qui extra operatur, quam qui studium cognoscenda veritatis exercet. Et ideo propter has causas religiosi non tenentur ad opera manualia, sicut nec seculares, nisi forte ad hoc per statuta sui ordinis obligentur: sicut Hieron. *dicit in epist. ad Rusticum monachum, Aegyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, ne vagentur perniciosis cogitationibus mens. In quantum verò opus manuale ordinatur ad eleemosynas faciendas, non cadit sub necessitate præcepti, nisi forte in aliquo casu, in quo ex necessitate aliquis eleemosynas facere teneretur, & non posset alias habere unde pauperibus subveniret: in quo casu obligarentur similiter religiosi & seculares ad opera manualia exequenda.

Ad primum ergo dicendum, quod præceptum illud quod ab Apostolo proponitur, est de iure naturali. Vnde super illud secundæ ad Thessalon. tercio, Ut subtrahatis vos ab omni fratre inordinate ambulante: dicit glossa, Aliter quam ordo naturæ exigit. Loquitur autem de his, qui ab opere manuali cessabant. Vnde & natura manus homini dedit loco armorum & regumentorum, quæ alijs animalibus tribuit, ut scilicet per manus hæc & alia omnia necessaria conquirit. Ex quo patet quod communiter ad hoc præceptum tenentur, &

*Psalm. 118
in gl or.
ex Aug.*

*cir. med.
illius. in
cip. 1. Nib
Christi a
no salu
us, 10*

*gl interl.
ibid.*

religiosi & seculares, sicut ad omnia alia legis naturalis præcepta. Non tamen peccant quicumque manibus non operantur: quia ad illa præcepta legis naturæ quæ pertinent ad bonum multorum, non tenentur singuli, sed sufficit quòd vnus vacet vni officio, alius alij: puta quòd quidam sint opifices, quidam agricolæ, quidam iudices, quidam doctores, & sic de alijs: secundum illud Apostoli primæ ad Corin. 12. Si totum corpus, oculus, vbi auditus? & si totum auditus, vbi odoratus? &c.

Ad secundum dicendum, quòd glossa illa sumitur ab * Augustino in libro de Operibus monachorum, in quo loquitur contra monachos quosdam, qui dicebant non esse licitum seruis Dei, manibus operari, propter hoc quòd Dominus dicit Matthæi sexto, Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis. Nec tamen per hæc verba inducitur necessitas religiosi manibus operandi, si habent aliunde vnde viuere possint. Quod patet per hoc quòd subdit *, Vult seruos Dei corporaliter operari, vnde viuant. Hoc autem non magis pertinet ad religiosos quàm ad seculares. Quod patet ex duobus. Primo quidem, ex ipso modo loquendi, quo Apostolus vtiur, dicens, Vt subtrahatis vos in omni fratre ambulante inordinate. Fratres enim omnes Christianos vocat. Nondum enim erant tunc temporis religiones institutæ. Secundo, quia religiosi non tenentur ad alia quam seculares, nisi propter regulæ professionem. Et ideo si in statutis regulæ non contineatur aliquid de opere manuali, non tenentur aliter ad operandum manibus religiosi quàm seculares.

Ad tertium dicendum, quòd omnibus illis operibus spiritualibus, quæ ibi tangit * Augustinus, potest aliquis vacare dupliciter. Vno modo, quasi deseruens vtilitati communi. Alio modo, quasi insistentis vtilitati privatæ. Illi ergo qui prædictis operibus spiritualibus publicè vacant, excusantur per huiusmodi opera spiritualia ab opere manuali, duplici ratione. Primo quidem, quia oportet eos totaliter esse occupatos,
circa

*c. cit. in
arg.*

*c. 3. in pr.
to. 3.*

*c. 17. l. de
operibus
mona. h.
to. 3.*

circa huiusmodi opera. Secundo, quia huiusmodi opera exercentibus debetur subministratio victus ab his quorum utilitati deseruiunt. Illi verò qui prædictis operibus non quasi publicis, sed quasi priuatis vacant, non oportet quòd per huiusmodi opera à manualibus operibus abstrahantur, nec etiam sit eis debitum, vt de stipendijs fidelium viuant. Et de talibus loquitur * Auguft. Quod enim dicit, Cantica diuina decantare, etiam manibus operantes possunt, exemplo opificum, qui fabulis linguas dant, cum tamen manibus ab opere non recedant: manifestum est quòd non potest intelligi de his qui horas canonicas in Ecclesia decantant: sed intelligitur de his qui Psalmos, vel Hymnos dicunt, quasi priuatas orationes. Similiter quod dicit de lectione & de oratione, referendum est ad orationes & lectiones priuatas, quas etiam laici interdum faciunt: non autem ad illos, qui publicas orationes in Ecclesia faciunt, vel etiam publicas lectiones in scholis legunt. Vnde non dicit, Qui dicunt se vacare doctrinae vel instructioni: sed qui dicunt se vacare lectioni. Similiter etiam de prædicatione loquitur, nõ quæ sit publicè ad populum, sed quæ specialiter sit ad vnum vel ad paucos, per modum priuatae admonitionis. Vnde signanter dicit, Si alicui sermo erogandus est. Nam sicut * glos. dicit 1. ad Corinch. 2. Sermo est qui priuatim fit: prædicatione, quæ fit in communi.

Ad quartum dicendum, quòd illi qui omnia propter Deum spernunt, tenentur manibus operari, quando alias non habent vnde viuant, vel vnde eleemosynas faciant, in casu in quo facere eleemosynam cadit sub præcepto: non autem aliter, vt dictum est. Et secundum hoc loquitur glossa inducta.

Ad quintum dicendum, quòd hoc quòd Apostoli manibus laborauerint, quandoque quidem fuit necessitatis, quandoque vero supererogationis. Necessitatis quidem, quando ab alijs victum inuenire non poterant. Vnde super illud 1. ad Cor. 4. Laboramus operantes manibus nostris, dicit gloss. Quia nemo dat no-

*c. 17. pa
rũ à pri.*

*c. 18. in
princ.*

*gl. interl.
super id:
Sermo
meus &
prædica-
tio mea.
in 29. ar.*

gloss. in-
berlin.
ibid.

bis : supererogationis aurem, vt patet per illud quod habetur 1. ad Cor. 9. vbi dicit Apostolus, quod non est vsus potestate, quam habebat viuendi de Euangelio. Hac autem supererogatione utebatur Apostolus tribus de causis. Primo quidem, vt occasionem prædicandi auferret pseudoapostolis, qui propter sola temporalia prædicabant. Vnde dicit 2. ad Corin. 11. Quod autem facio & faciam, vt amputem eorum occasionem, &c. Secundo, ad euitandum grauum eorum, quibus prædicabat : vnde dicit 2. ad Corin. 12. Quid minus habuistis præ cæteris Ecclesijs, nisi quod ego ipse non grauavi vos ? Tertio, ad dandum exemplum operandi otiosis. Vnde 2. ad Thess. 3. dicit, Noctæ & die operantes, vt formam daremus vobis ad imitandum nos. Quod tamen Apostolus non faciebat in locis, in quibus habebat facultatem quotidie prædicandi, sicut Athenis, vt August. * dicit in lib. de operibus monach. Non autem propter hoc religiosi tenentur Apostolum in hoc imitari, cum non teneantur ad omnes supererogationes : vnde nec alij Apostoli manibus operabantur.

a. 18 t. 3.

ARTIC. IV.

897

Opus 18.
ar. 7.
habetur
1. q. 2. c.
Clericos
c. 16. q. 1
c. Quo-
niam.

Vtrum religiosi liceat de elemosynis viuere ?

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod religiosi non liceat de elemosynis viuere. Apostolus enim 1. ad Thimoth. 5. præcipit, vt viduæ quæ possunt aliunde sustentari, non viuant de elemosynis Ecclesiæ, vt Ecclesia sufficiat illis, quæ vere viduæ sunt. Et * Hieronymus dicit ad Damasum Papam, quod qui bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt. Et per abusionem talium iudicium sibi manducant & bibunt. Sed religiosi possunt de labore manuum sustentari, si sint validi. Ergo videtur quod peccent, elemosynas pauperum comedendo.

¶ 2. Præterea, Viuere de sumptibus fidelum, est merces deputata prædicantibus Euangelium pro suo labore vel opere, secundum illud Mat. 10. Dignus est

est operarius cibo suo . Sed prædicare Euangelium non pertinet ad religiosos, sed maximè ad prælatos, qui sunt Pastores & Doctores . Ergo religiosi non possunt licitè viuere de eleemosynis fidelium .

¶ 3 Præterea , Religiosi sunt in statu perfectionis . Sed perfectius est dare eleemosynas, quàm accipere . Dicitur enim Act. 20. Beatius magis est dare, quàm accipere . Ergo non debent de eleemosynis viuere, sed magis ex operibus manuum suarum eleemosynas dare .

¶ 4 Præterea, Ad religiosos pertinet impedimenta virtutis, & occasiones peccati vitare. Sed acceptio eleemosynarum præbet occasionem peccati, & impedit virtutis actum . Vnde super illud secundæ ad Thessalonicenses ultimo, Vt nosmetipsos formam daremus vobis, dicit * gloss. Qui frequenter ad alienam mensam conuenit, otio deditus, aduletur necesse est, pascenti se . Dicitur etiam Exod. 23. Nec accipies munera, quæ excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum . Et Prouerb. 22. dicitur. Qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis: quod est religioni contrarium . Vnde super illud secundæ ad Thessalonicenses ultimo, Vt nosmetipsos formam daremus, &c. dicit. gloss. * Religio nostra ad libertatem homines aduocat . Ergo videtur quòd religiosi non debeant de eleemosynis viuere .

*Est gl or.
cx Amb.
ibi. 10. 5.*

gl. or. ib.

¶ 5 Præterea , Religiosi præcipuè tenentur imitari Apostolorum perfectionem. Vnde Apost. dicit ad Phil. 3. Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus. Sed Apostolus nolebat viuere de sumptibus fidelium, vt occasionem auferret pseudoapostolis, sicut ipse dicit 2. ad Cor. 11. Et ne scandalum poneretur infirmis, vt patet 1. ad Cor. 9. Ergo videtur quòd propter easdem causas religiosi debeant abstinere ne de eleemosynis viuant. Vnde & Aug. dicit in lib. de * operibus monachorū, Amputetis occasionem turpium nundinarū, quibus existimatio vestra læditur & infirmis offendicula ponitur; & ostēdite hominibus non vos in otio fa-

*c. 28. in
fr. 10. 3.*



cilem victum, sed per angustam & arctam viam regnum Dei querere.

lib. 2 c. 1. cir. med.

S E D contra est, quod sicut * Gregor. dicit in Dialogorum, B. Benedictus tribus annis in specu permanens, de his quæ à Romano monacho ministrabantur, refectus est, postquam domum parentisque reliquerat: & tamen validus corpore existens non legitur de labore manuum quæsiuisse victum. Ergo religiosi licite possunt de eleemosynis vivere.

R E S P O N D E O dicendum, quod vnicuique licet vivere de eo quod suum est, vel sibi debitum. Fit autem aliquid alicuius ex liberalitate donantis. Et ideo religiosi & clerici, quorum monasterijs vel ecclesijs ex munificentia principum vel quorumcumque fidelium sunt facultates collatae, ex quibus sustententur, possunt de eis vivere licite, absque hoc quod manibus laborent: & tamen certum est eos de eleemosyna vivere. Vnde & similiter si aliqua mobilia religiosi à fidelibus conferantur, possunt de eis licite vivere. Stultum est enim dicere quod aliquis in eleemosynam possit accipere magnas possessiones, non tantum panem vel parvam pecuniam. Sed quia huiusmodi beneficia religiosi videntur esse collata ad hoc, quod liberius religiosi actibus insistere possint, quorum cupiunt se fore participes qui temporalia subministrant, redderetur eis vsus prædictorum donorum illicitus, si ab actibus religiosi desisterent: quia quantum est de se, defraudarent intentionem eorum qui talia beneficia contulerunt. Debitum autem est alicui aliquid dupliciter. Vno modo, propter necessitatem, quæ facit omnia communia, ut * Ambrosius dicit. Ideo si religiosi necessitatem patientis licite possunt de eleemosynis vivere: quæ quidem necessitas potest esse tripliciter. Primo quidem propter corporis infirmitatem, ex qua contingit quod non possint sibi labore manuum victum querere. Secundo, si illud quod ex opere manuali conquirunt, eis ad victum non sufficiat. Vnde * Augustinus dicit in libro

ex ser 81 colligi videtur 1. 3

cap. 17. 2 me. 1. 3.

bro de Operibus monachorum, quòd bona opera fi-
 delium subsidio supplendorum necessariorum deesse
 non debent illis seruis Dei, qui manibus operantur,
 vt horæ quibus ad erudiendum animum ita vacatur, vt
 illa corporalia opera geri non possint, non opprimant
 egestate. Tertio, propter pristinam conuersationem
 eorum qui non consueuerant manibus laborare. Vn-
 de * Augustinus dicit in lib. de Operibus monachorū,
 quòd si habebant aliquid in seculo, quo facile sine
 opificio sustentarent istam vitam, quod conuerſi ad
 Deum indigentibus dispertiti sunt, & credenda est eo-
 rum infirmitas & ferenda. Solent enim tales delica-
 tius educati laborem operum corporalium sustinere
 non posse. Alio modo efficitur aliquid alicuius debitu-
 ex eo quod ipse exhibet, siue sit aliquid temporale,
 siue spirituale: secundum illud primæ ad Corinth. 9.
 Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si
 carnalia vestra metamus? Et secundum hoc quadru-
 pliciter possunt religiosi de eleemosynis viuere, quasi
 sibi debitis. Primo quidem, si prædicent auctoritate
 prælatorum. Secundo si sint ministri altaris: quia vt
 dicitur primæ ad Corinth. 9. Qui altari deseruiunt,
 cum altari participant. Ita & Dominus ordinauit his,
 qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.
 Vnde & Augustinus dicit in libro de * Operibus mo-
 nachorum, Si Euangelistæ sunt, fateor, habent pote-
 statem viuendi de sumptibus fidelium: si ministri alta-
 ris, dispensatores sacramentorum, benè sibi istam non
 arrogant, sed planè vendicant potestatem. Et hoc ideo,
 quia sacrificium altaris vbiunque agatur, commune
 est toti populo fidelium. Tertio, si insistant studio sa-
 cræ Scripturæ ad communem vtilitatem totius Eccle-
 siæ. Vnde Hieronymus dicit contra Vigilantium, *
 Hic in Iudæa vsque hodie perseuerat consuetudo, non
 solum apud nos, sed etiam apud Hebræos, vt qui in
 lege Domini meditantur die ac nocte, & patrem non
 habent in terra nisi solum Deum, Synagogarū, & totius
 orbis foueantur ministerijs. Quarto, si bona tempo-
 ralia

c. 21. c. 2.
prim. 3.

c. 21. in
prim. 3.

inter me.
& si inci-
pit, Multa
in cr-
bo, 20. 2.

cap. 25. d
med. 10. 5

ante fin.
6. 25.

c. 12. in
prin. 10. 3

c. 25. non
procul à
si 10. 3.

ralia quæ habebant, monasterio largiantur, de eleemosynis monasterio factis possunt viuere. Vnde Aug. dicit * in libro de operibus monachorum, quod illi qui relicta vel distributa, siue ampla, siue qualicumque opulenta facultate, inter pauperes Christi pia & salubri humilitate numerari voluerunt, vicem sustentandæ vitæ eorum res ipsa communis & fraterna charitas debet, qui laudabiliter agunt, si manibus operentur. Quod quidem si nolint, quis audeat eos cogere? Nec attendendum est, vt ibidem subditur, * in quibus monasterijs, vel in quo loco, indigentibus fratribus quisque id quod habebat impenderit: omnium enim Christianorum vna respublica est. Si verò aliqui sint religiosi, qui absque necessitate & vtilitate, quantum afferant, velint otiosi de eleemosynis, quæ dantur pauperibus, viuere, hoc est eis illicitum. Vnde Aug. dicit * in lib. de oper. monachorum, Plerumque ad hanc professionem seruitutis Dei, & ex condicione seruili aliqui veniunt, & ex vita rusticana, & opificum exercitatione, & plebeio labore, de quibus non apparet vtrum ex proposito seruitutis Dei venerint, an vitam inopem & laboriosam fugientes, vacui pascis atque vestiri voluerint, & insuper honorari ab eis, à quibus contemni, conterique consueuerant. Tales ergo se, quo minus operentur, de infirmitate corporis excusare non possunt: præterita quippe vitæ consuetudine conuincuntur. Et postea * subdit, Si nolint operari, non manducent. Neque enim propterea à pietatem diuites humiliantur, vt pauperes ad superbiam extollantur. Nullo enim modo decet, vt in eadem vita, vbi senatores sunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi; & quò veniunt relicta delictijs suis, qui fuerant prædiorum domini, ibi sint rustici delicati.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritates illæ sunt intelligendæ tempore necessitatis, quando scilicet non posset aliter pauperibus subueniri. Tunc enim tenerentur non solum ab eleemosynis accipiendis desistere, sed etiam sua, si qua haberent,

rent, largiri ad pauperum sustentationem.

Ad secundum dicendum, quod prælati competit prædicatio ex officio: religiosi autem potest competere ex commissione. Et ita cum laborant in agro dominico, possunt exinde viuere, secundum illud 2. ad Tim. 2. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Vbi dicit * gloss. id est, prædicatorem, qui in agro Ecclesiæ ligone verbi Dei excolit corda auditorum. Possunt etiam de Euangelijs viuere, qui prædicatoribus ministrant. Vnde super illud ad Rom. 15. Si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare eis: dicit * gloss. scilicet Iudæis, qui miserunt prædicatores ab Hierosolymis. Sunt & aliæ causæ, ex quibus alicui debetur, vt de sumptibus fidelium viuatur, vt f dictum est.

gl. or. ib.

gl. or. ib.

in co. ar.

Ad tertium dicendum, quod ceteris paribus, dare est perfectius quam accipere: & tamen dare vel relinquere omnia sua pro Christo, & modica accipere ad sustentationem vitæ, melius est quam dare aliqua particulariter pauperibus, vt ex * supra dictis patet.

Ad quartum dicendum, quod accipere munera ad diuitias augmentandas, vel accipere victum ab aliquo sibi non debitum, absque utilitate & necessitate, præstat occasionem peccati: quod non habet locum in religiosis, vt ex f supra dictis patet.

*q. 186. a.
3. ad 6.*

Ad quintum dicendum, quod quando apparet manifesta necessitas & utilitas, propter quam aliqui religiosi de elemosynis viuunt absque opere manuali, non scandalizantur ex hoc infirmi, sed maliitiosi: more Pharisæorum, quorum scandalum contemnendum Dominus docet Matth. 23. Sed si non esset euidentis necessitas & utilitas, posset exinde generari scandalum infirmis: quod esset vitandum. Idem tamen scandalum imminere potest de his, qui facultatibus communibus otiose viuunt.

in co. ar.

898

Utrum religiosi liceat mendicare?

3. cont. c.

135. co. 3.

4. et 5. et

quo. 7. a.

18. ad 7.

et opa 17

c. 14. 15.

¶ 16. o-

pa 19. c. 7

7c. 28. an

se med.

10. 3.

* gl. ord.

ibi ex Au

gust. de o-

perib. mo

nac.

† ibidem

i. 11. tit.

25.

l. 2. c. 15.

* Ambr.

l. 1. c. 30.

nō procul

a p. 6. 1.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod religiosi non liceat mendicare. Dicit enim August. in lib. de Operibus monac. * Tam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit callidissimus hostis circumuehentes provincias: & postea subdit, Omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosae egestatis, aut simulate precium sanctitatis. Ergo videtur, quod vita religiosorum mendicantium sit reprobanda.

¶ 2 Præterea, Primæ ad Thessal. 4. dicitur, Operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, & ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis: ubi dicitur † gloss. Ideo opus agendum est, & non otandum, quia & honestum est, & quasi lux ad infideles. Et non desiderabitur rem alterius, ne dum rogetis vel tollatis aliquid. Et 2. ad Thessal. 3. super illud, Si quis non vult operari, &c. dicitur † gloss. Vult seruos Dei corporaliter operari, ut habeant unde viuant, ut non compellantur egestate necessaria parere. Sed hoc est mendicare. Ergo videtur, quod illicitum sit prætermisso opere manuali mendicare.

¶ 3 Præterea, Illud quod est in lege prohibitum & iustitiæ contrarium, non competit religiosi. Sed mendicare est prohibitum in lege diuina. Dicitur enim Deuter. 15. Omnino indigens & mendicus non erit inter vos. Et in Psalm. 36. Non vidi iustum derelictum, nec semen eius querens panem. Secundum etiam iura ciuilia punitur validus mendicans, ut habetur Codice de Validis mendicantibus. Ergo non competit religiosi mendicare.

¶ 4 Præterea, Verecundia est de turpi actu, ut † Damasc. dicit. Sed * Ambr. dicit in lib. de Officijs, quod verecundia petendi ingenuos prodit natales. Ergo mendicare est turpe. Non ergo religiosi competit.

¶ 5 Præterea, Maxime de elemosynis viuere competit prædicantibus Euangelium, secundum Domini statum.

statutum *, vt supra dictum est. Eis tamen non competit mendicare: quia super illud 2. ad Timoch. 2. Laborantem agricolam, &c. dicit † gloss. Vult Apostolus quod Euangelista intelligat quod necessaria sumere ab eis in quibus laborat, non est mendicitas, sed potestas. Ergo videtur, quod religiosis non competat mendicare.

SED contra, Religiosis competit vivere ad imitationem Christi. Sed Christus mendicauit, secundum illud Psal. 39. Ego autem mendicus sum & pauper. vbi dicit † gloss. Hoc dixit Christus de se ex forma serui. Et infra, Mendicus est qui ab alio petit; & pauper qui sibi non sufficit. Et in alio Psal. 69. Ego egenus & pauper sum: vbi dicit * gloss. Egenus, id est petens; & pauper, id est, sufficiens mihi, quia mundanas copias non habeo. Et Hier. dicit in quadam epistola, Caue ne Domino tuo mendicante (scilicet Christo) alienas diuitias cogeris. Ergo conueniens est religiosis medicare.

RESPONDEO dicendum, quod circa mendicationem duo possunt considerari. Vnum quidem, ex parte actus ipsius mendicationis, quæ habet sibi quandam abiectionem coniunctam. Illi enim videntur abiectionissimi inter homines esse, qui non solum sunt pauperes, sed in tantum sunt egentes, quod necesse habeat ab alijs vitium accipere. Et secundum hoc causa humilitatis aliqui laudabiliter mendicant, sicut & alia assument, quæ ad abiectionem quandam pertinent, quasi efficacissimam medicinam contra superbiam, quam vel in seipsis, vel etiam in alijs per exemplum, extinguere volunt. Sicut enim infirmitas, quæ est ex super excessu caloris, efficacissime sanatur per ea quæ in frigiditate excedunt, ita etiam pronitas ad superbiam efficacissime curatur per ea, quæ multum abiectionem videntur. Et ideo dicitur in * Decret. de penitent. dist. 2. Exercitia humilitatis sunt, si quis se vilioribus officijs subdat, & ministerijs indignioribus tradat: ita namque arrogantia & humanæ gloriæ vitium curari poterit. Vnde † Hieron. in epist. ad Oceanum, commo-
dat

* ar. prac.

† gl. ord. super illud De fructibus percipere

† est glos. ordin. ex Cassiodo. hoc loco. gl. insert. ex Cassio. ibid.

c. Si quis se mel. inter me. et su. illius inci pit. Plures anni sunt, s. r.

dat Fabiolam de hoc quod optabat, ut suis diuitijs pariter effusis, pro Christo stipem acciperet. Quod etiam beatus Alexius perfecit, qui omnibus suis propter Christum dimissis, gaudebat se etiam à seruis suis eleemosynas accepisse. Et de beato Arsenio legitur in Vitis Patrum, quòd gratias egit de hoc quòd necessitate cogente oportuit eum eleemosynam petere. Vnde & in penitentiam pro grauib; culpis iniungitur aliquibus, ut peregrinentur mendicantes. Sed quia humilitas, sicut & cætera virtutes, absque discretione esse non debet: idè oportet discretè mendicitatem ad humiliationem assumere, ut ex hoc homo notam cupiditatis non incurrat, vel cuiuscumque alterius indecentis. Alio modo potest considerari mendicitas ex parte eius, quod quis mendicanti acquirit: & sic ad mendicandum potest homo et duobus induci. Vno modo, ex cupiditate habendi diuitias, vel victum otiose, & talis mendicitas est illicita. Alio modo, ex necessitate, vel vilitate. Ex necessitate quidem, sicut cum aliquis non potest aliunde habere, vnde viuat, nisi mendicet. Ex vilitate autem, sicut cum aliquis intendit ad aliquid vtiliter perficiendum, quod sine eleemosynis fidelium facere non potest: sicut petuntur eleemosynæ pro constructione pontis vel Ecclesiæ, vel quibuscumque alijs operibus, quæ vergunt in vilitatem communem: sicut scholares, ut possint vacare studio sapientiæ. hoc modo mendicitas est licita, sicut secularibus, & religiosis.

Ad primum ergo dicendum, quòd August. ibi loquitur expressè de his qui ex cupiditate mendicant.

*licitata in
arg. 2.*

Ad secundum dicendum, quòd prima glossa loquitur de petitione quæ fit ex cupiditate, ut patet ex verbis Apostoli: alia autem glossa loquitur de illis, qui absque omni vilitate quam faciunt, necessarium petunt, ut otiosi viuant. Non autem otiose viuunt, qui qualitercumque vtiliter viuunt.

Ad tertium dicendum, quòd ex illo præcepto legis

gis diuinæ non prohibetur alicui mendicare. Sed prohibetur diuitibus, ne tam tenaces sint, vt propter hoc aliqui egestate mendicare cogantur. Lex autem ciuilibis imponit pœnam validis mendicantibus, qui non propter vilitatem vel necessitatem mendicant.

Ad quartum dicendum, quod duplex est turpitudō: vna inhonestatis, alia exterioris defectus: sicut turpe est homini esse infirmum vel pauperem. Et talis turpitudō mendicitatis non pertinet ad culpam: sed ad humilitatem pertinere potest, vt dictum est.

in co. ar.

Ad quintum dicendum, quod prædicantibus ex debito debetur victus ab his quibus prædicant. Si tamen non quasi sibi debitum, sed quasi gratis dandum mendicando petere velint, ad maiorem humilitatem pertinet.

ARTIC. VI.

Vtrum liceat religiosis vilioribus vestibus uti, quam ceteri vtuntur?

899

Opu. 19. c. 8.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod non liceat religiosis, vilioribus vestibus uti, quam ceteris: quia secundum Apostolum 1. ad Thesal. vlt. Ab omni specie mala abstinere debemus. Sed vilitas vestium habet speciem mali. Dicit enim Dominus Matth. 7. Attedite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Et super illud Apoc. 6. Ecce equus pallidus, &c. dicitur in glossa. Videns diabolus nec per apertas hæreses se posse proficere, præmittit falsos fratres, qui sub habitu religionis obtinent naturam & rufi equi, & nigri, peruertendo fidem. Ergo videtur, quod religiosi non debeant vilibus vestibus uti.

gl. or. ib.

¶ 2. Præterea, Hieronymus dicit ad Nepotianum, Vestes pullas (id est nigras) æquè deuita vt candidas. Ornatus vt sordes pari modo fugiendi sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Ergo videtur, quod cum inanis gloria sic grauius peccatum quam delicia: um vltus, quod religiosi qui debent ad perfectionem tendere, magis debent vitare vestes viles, quam pretiosas.

Post me.

epi. in: sp.

Petis à

me Nepo

tianc. s. 1

¶ 3. Præ-

¶ 3 Præterea, Religiosi maxime intendere debent operibus penitentiae. Sed in operibus penitentiae non est utendum exterioribus signis tristitiae, sed magis iustitiae signis. Dicit enim Dominus Matth. 6. Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes. Et postea subdit, Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua. Quod exponens † August. in lib. de sermone Domini in monte, dicit, In hoc capitulo maxime aduertendum est non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis foribus leuosis esse posse iactantiam, & eo periculosiore, quod sub nomine seruitutis Dei decipit. Ergo videtur, quod religiosi non debeant vilioribus vestibus indui.

*l. 2. c. 19.
in me. 1. 4.*

*gl. interl.
ibid.*

*† 2. 9. 4.
c. Omnis
satura.
in med.
l. 3. c. 12.
so. 30.*

SED contra est, quod ad Heb. 11. Apostolus dicit Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis. gloss. ut Helias & alij. Et in † Decret. 21. quæst. 4. dicitur, inuenti fuerint deridentes eos, qui vilibus & religiosi vestibus amicti sunt, corrigantur. Priscus enim temporibus omnis sacratus vir cum mediocri aut vilis veste conuersabatur.

RESPONDEO dicendum, quod sicut † Augustinus dicit in tertio de Doctrina Christiana, in omnibus exterioribus rebus non usus rerum, sed libido vitæ in culpa est. Ad quam discernendam attendendum est quod habitus vilis & inculus dupliciter potest considerari. Vno modo, prout est signum quoddam dispositionis vel status humani: quia ut dicitur Ecclesiæ decimonono, Amictus hominis enuntiat de illo. Et secundum hoc vilitas habitus est quandoque signum tristitiæ. Vnde & homines in tristitia existentes induunt vilioribus vestibus vti: sicut e conuerso in tempore solemnitatis & gaudij videntur cultioribus vestimentis. Vnde & penitentes vilibus vestibus vtuntur, ut patet Ionæ tertio de Rege, qui indutus est sacco, &

*De viuendi forma
inter pri.
q. me. 8.*

tertij Regum vigesimoprimum de Achab, qui operuit cilicio carnem suam. Quandoque verò est signum contemptus diuitiarum & mundani fastus. Vnde Hieronymus dicit ad Rusticum monachum, Sordide vestes,

stes, candidæ mentis indicia sunt: vilis tunica contemptum seculi probat; ira duntaxat ne animus tumeat, ne habitus sermoque dissentiant. Et secundum utrumque horum competit religiosus vilitas vestium: quia religio est status pœnitentiæ & contemptus mundanæ gloriæ. Sed quod aliquis velit hoc aliis significare, contingit propter tria. Vno modo, ad sui humilitationem. Sicut enim ex splendore vestium animus hominis eleuatur, ita ex humilitate vestium humiliatur. Vnde de Achab, qui carnem suam cilicio induit, dixit Dominus ad Heliam, Nonne vidiisti Achab humiliatum coram me? ut habetur tertij Regum vigesimoprimo. Alio modo, propter exemplum aliorum. Vnde super illud Mathæi tertio, Habebat vestimentum de pilis camelorum, &c. dicit glossa*. Qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ præterdit. Tertio modo, propter inanem gloriam: sicut* Aug. dicit, quod in ipsis sordibus luctuosus potest esse iactantia. Duobus ergo primis modis laudabile est abiectionis vestibus uti; tertio verò modo, est vitiosum. Alio autem modo, potest considerari habitus vilis & incultus, secundum quod procedit ex avaritia, vel ex negligentia: & sic etiam ad vitium pertinet.

Ad primum ergo dicendum, quod vilitas vestium de se non habet speciem mali, imò potius speciem boni, scilicet contemptus mundanæ gloriæ. Et inde est quod mali sub vileitate vestium suam malitiam occultant. Vnde* Aug. dicit in lib. de sermone Domini in monte, quod non ideo debent oues odisse vestimentum suum, quia plerumque illo se occultant lupi.

Ad secundum dicendum, quod Hieronymus ibi loquitur de vestibus vilibus, quæ deferuntur propter humanam gloriam.

Ad tertium dicendum, quod secundum doctrinam Domini, in operibus sanctitatis nihil homines facere debet propter apparentiam. Quod præcipue contingit quando aliquis aliquid nouum facit. Vnde* Chrys. dicit super Math. Orans nihil nouum faciat quod

glos. ord.
ibid. ex
Hier.
lib. 2. de
ser. Dom.
in monte
cap. 19 a
med. to. 4

li. 2. c. 38.
cir. med.
to. 4.

ho. 19. in
Matth a
me. 1. 2.

Sec. Sec. vol. iij.

Y y aspi-

aspiciant homines, vel clamando, vel pectus percutiendo, vel manus expandendo; quia scilicet ex ipsa nouitate homines reddunt intentos ad considerandum. Nec tamen omnis nouitas intentos faciens homines ad considerandum, reprehensibilis est. Potest enim & benè & malè fieri. Vnde * August. dicit in lib. de ferm. Domini in monte, quòd qui in professione Christianitatis inuitato squalore ac sordibus intentos in se oculos hominum facit, cum id voluntate faciat, nõ necessitate patiatur: cæteris eius operibus potest cognosci vtrum hoc contemptu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat. Maximè autem videntur hoc non ex ambitione facere religiosi, qui habitum vilem deferunt, quasi signum suæ professionis, qua contemptum mundi profitentur.

QVÆST. CLXXXVIII.

De Religionum varietate, in cõto articulos diuisa.

Deinde considerandum est de differentia religionum.

¶ Et circa hoc quærentur octo.

- ¶ Primo, vtrum sint diuersæ religiones, vel tantum vna?
- ¶ Secundo, vtrum aliqua religio institui possit ad operam vitæ actiuæ?
- ¶ Tertio, vtrum aliqua religio possit ordinari ad solitudinem?
- ¶ Quarto, vtrum possit institui aliqua religio ad predicandum, & huiusmodi opera exercenda?
- ¶ Quinto, vtrum possit aliqua religio institui ad studium scientiæ?
- ¶ Sexto, vtrum religio quæ ordinatur ad vitam contemplatiuam, sit potior ea, quæ ordinatur ad vitam actiuam?
- ¶ Septimo, vtrum habere aliquid in communi, diminuat de perfectione religionis?
- ¶ Octauo, vtrum religio solitariorum sit præferenda religioni in societate viuentiũ?